

28
1

D. SALOMO CONSTANTINVS

T I T I V S,

ORDINIS MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

A

CAROLO GEORGIO NEVMANNO

GERANO

D. II. MAII 1795.

H. L. Q. C.

P V B L I C E H A B E N D A M

INDICIT.

*De frigoris extremi in corpus humanum effectibus, caloris
summi admodum analogis.*

1

DE GAZALOMO CONSTANTINIA

TITIVS

ORDINES MUSICALIS TITIVS

GRADUS ET TONI

DE GANIA

GRADUS ET TONI MAGISTERIA TITIVS

A

GRADUS ET TONI MAGISTERIA TITIVS

GRADUS

GRADUS ET TONI MAGISTERIA TITIVS

GRADUS

GRADUS ET TONI MAGISTERIA TITIVS

GRADUS

DE HIGMUS ET TONI MAGISTERIA TITIVS

Quae physicis clare satis recentiorum experimentis comprobata sunt, frigus nempe atque calorem, gradu tantum intensitatis, non autem essentia ipsa differre, eadem ex utriusque in corpore effectibus optime quoque demonstrantur. Nolo nunc de materia et via illa, qua calor continetur, pluribus differere, neque, an res quaedam singularis, an principii cuiusdam, per omnem naturam dispersi, affectio sit, hoc loco quaerere; cui quidem consilio arctiores prolusiones academicae limites vix sufficiunt: sed in praefens modo ad effectus attendam, quos in calore alios, alios in frigore, diuersos quidem, si perfunctorie consideraueris, sed diligentiori examine, eosdem iudicabis.

Medius temperaturae gradus ita naturae animali, quin plerisque corporibus naturalibus accommodatus esse videtur, ut partes corporis eodem quasi soueantur, atque incrementis cito capiendis præparentur. Sed extremas illius partes, tristes plerumque effectus excipiunt, omnes in eo conuenientes, ut machinae corporeae interitum procreent. Calorem quidem corpora inorganica ampliare, partes eorum rarefacere, actionem partium inter se augere, et continua, majorique actione, ad corporum tandem destructionem facere, satis perspicuum est. Frigus autem, quamvis inorganicas rebus magis fauere, et eorum destructionem minus contrahere videatur, tamen partium contractione, atque motu sensim imminuto, simile malum inducit. Certum itaque atque pluribus obseruatis demonstratum est, quod corpora inanima, sive feruido aestu, sive gelido frigore corripiantur, simili semper modo afficiuntur, et ad interitum quasi sollicitantur. Quemadmodum enim hoc de corporibus tensis, fibris, nervis, filamentisque in genere valet, sic de omni partium nexo in rebus corporeis idem asserendum est. Quam in rem memorabile fermentationis exemplum in medium assert BOERHAVE (*Chem. P. II.*)



p. 163. edit. Lips.) ex quo elucescit, quod frigus nimium fermentationem fluidorum aequa aboleat, ac calor nimius partium dissipatio ne eandem impeditre soleat.

Eadem prorsus ratio vtriusque excedentis temperaturae est, qua effectum, quem in corpora viuentia, atque animata exercit, vbi praeter commemoratas mutationes communes, aliae propriae, quae a vi horum corporum vitali deducuntur, considerandae sunt. Etenim haec vis fons est, ex quo omnia illa phaenomena, quae insufficienter ex solis physicis partium qualitatibus explicantur, defluunt. Vel enim externae corporis superficie calor applicetur, vel ipsi sanguinis massae per respirationem communicetur, per maiorem irritationem atque inde subnatam reactionem fortiorum, plures oboriuntur immutaciones. Reactione ut in systemate nervoso, ita in sanguineo longe fortior, hinc autem sensationis gradus, haud raro in verum transiens dolorem, maior fluidorum motus, atque respiratio inde longe liberior; ex qua tandem, continuante nervorum actione, debilitas, vigoris naturalis immutatio, quin torpor adeo atque stupor partium prodeunt. Quemadmodum vero calor praecipue in partes molliores agit, atque eorum reactionem incitat, ita frigus non quidem eadem ratione, sed obtundendo potius nervos, aequa tristis infert exitum. Initio quidem frigore partes sensiles irritantur, sunt viuidiores, mox debilitas atque stupor subsequuntur, qui eo certior erit, atque vehementior, quam magis partes interiores atque nervi in primis patiuntur.

Exemplis, ea, quae hactenus dixi, illustrare lubet quibusdam, quae praxis medica mihi nuper suppeditauit. Hyeme enim elapsa quae nisi diu durantibus, ferisque omnino, tamen intensioribus iure annumeranda est, quales sint frigoris aceroris in corpus humanum effectus, obseruandi mihi oblata est occasio. Inuenis neinpe, hypochondriacis insultibus interdum tentatus, illis diebus, quibus sumnum vregebat frigus, singularia repetitis vicibus phaenomena in se expertus est: videlicet flante in primis Euro, quoties in via publica sub dio per aliquot horae minuta versaretur, capite dolere, oculis obnubilari, titubare, vertigine affici coepit, et quasi casu pereculsus, de statu suo declinare, stabile corpus apprehendere, et in locum tem-

pera-

peratum, in domicilium tepidum concedere, necessitate ductus est, ut quiete et calore pristinas refocillaret vires. Evidem hunc ipsum iuuenem frigore hac ratione corruptum, visendi nactus sum occasio-nem; omnis facies, manus, colorem retulerunt partium frigore ta-clarum, anhelatio fortis, pulsus celerrimus initio, successiue sedatus, tandemque per quietem ad se rediit. Solis roborantibus et antispasmodi-cis malum, durante adhuc frigore, imminutum, eoque cessante plane sub-latum fuit. Aliis iuuenis insultibus melancholicis levioribus iam antea vexatus, nouum, ipso frigoris tempore durioris, perpesius paroxysmum est, et cum restaurandae valetudinis animum deiceret, omnemque, quam suaserunt, amicorum, fugeret consuetudinem, redeunte calo-re atmosphaericu sua sponte fuit restitutus. Similem frigoris vim in sene rustico obseruaui, qui, faciente nuper frigore, insignem diminu-tionem, imo fere sublationem auditus, per interualla pausis est, cuius tamen sensum decrescente frigore, maximam partem, successiue recuperauit. Non deerunt aliis obseruatoribus alia exempla, quae tum insignem frigidae atmosphaerae in corpus humanum efficaciam, tum analogiam cum effeciis summi caloris optime docent. Tristes radiorum solis, directe caput ferientium, euentus, qui in statu insolatio-nis obseruantur, his cognati sunt. Concidunt eiusmodi miseri, ut agricolae in campis, milites in itineribus, tempestate calidissima, at-que signa apoplexia tam sanguineae, quam neruofae, praebent. Non-ne idem per frigoris effectus aucti, diuersis licet ratione et modo, accedit? Illustratur hoc exemplo rabiei caninae, quae et summo calo-re, et summo frigore aequre ingruit. Neque defunt exempla canum rabie praeterita hyeme afflictatorum, qualia in ephemeridibus, ex vi-rorum doctorum testimoniis, allegantur, et ipse comperta habeo.

Qualis denique caloris vehementioris in exteriorem corporis superficiem vis sit, atque efficacia, ex varia integumentorum firmitate, atque crassitie facile intelligitur, et quotidiana experientia comproba-tur. Quodsi corpora metallica fusa, vel alia, quae magnum aestu gradum contraxerunt, cuti admoventur, mox omnis eiusdem struc-tura organica perit. Eadem frigore quoque evenire, licet rariora do-ceant exempla, non defunt tamen illa, ex quibus constat, post subita-



neam corporum summe frigidorum applicationem, mox algore partes corrupti, sensu orbari, atque si vehementior fuerit, organica strutura plane priuari. Communia vero haec sunt, rariora, quae de effectu corporum summe calidorum, vel frigidorum, in interioribus partibus leui cuticula tectis, obseruata sunt. EDWARD SPRY, in *Philosoph. Transact.* (Vol. 49. P. 2. p. 228. edit. Witteb.) narrat ea, quae in sectione hominis, ex intus suscepta haud leui plumbi fusi portione demortui, inuenierit. Cum enim infelix ille, incendio, quod in pharo Plymouthano subortum erat, alacrem opem admoueret, magnam plumbi fusi portionem, ab alto tecto, in os, atque fauces subito delapsam, glutire et deuorare coactus est; quo facto, summis cruciatus doloribus post aliquot dies obiit. Interna ventriculi tunica, tota quanta inflammatata, plura loca sphacelosa, et destruēta erant; atque similia, illis phaenomenis, quae a combustionē cutis externae oriuntur. Auctor solertissimus eadem experimenta, fuso plumbo animalium brutorum, aijum v. c. faucibus injecto, repetit, et cuticulam ventriculi inflamatam, rugis penitus inductam, non quidem solutam, vidit. Eadem cani, materiae frigidae efficacia, euensis in plagulis nostris (*Wittenberg. Wochenbl.* A. 1776. p. 205 sq.) legimus. Miscela frigida ad gradum 07 thermometri Fahrenh. ex niue et sale communi parata, canis ori intrula, cuius licet partem vomitu reiiceret, illius tamen prope modum libram vnam voravit et retinuit. Inter experimentum iam debilitatis canis, cum miscelae amplius sumere nihil posset, deiectiones inequuntur inuoluntariae, calor externus subinde immunitur, succedunt conuulsiones, leniores, violentissimae, quibus post horae quadrante exspirat. Cum extis inspiciendis cura asperatur, ventriculus inflammatus et gangraenosus reperitur, neque tamen tunica villosa consueta facilitate separari potuit. Effectus prorsus fuit idem ac ille plumbi fusi ante notatus, caussa autem diuersa. Omnis enim haec frigoris summi actio ab neruorum potius stupore, subito illato deriuatur, quo vis talis, et vigor naturalis ita fuerunt sublati, vt et inflammatio, et gangraena oborirentur.

Sed

Sed orationis filum iam dissecandum est. Commendandus
enim nunc est

VIR PRAENOBILISSIMVS
CANDIDATVS DIGNISSIMVS,
CAROLVS GEORGIVS NEVMANN,
GERANVS,
MEDICINAE CANDIDATVS,

qui studio medico omni cum laude in Academia absoluto, iam in eo
est, ut summos in arte medica honores capiat; quo vero melius de
Ipsius doctrina iudicare possumus, en vitam Ipsius, Ordini nostro
exhibitam:

Ego, CAROLVS GEORGIVS NEVMANN, natus sum Gerae
A. 1774. d. 13. Martii, patre GEORGIO NEVMANN, ur-
be Gedano, oriundo, et matre IOANNA ELEONORA, e fa-
milia BECKER. Patrem vix primum vitae annum egresso dirum fa-
tum eripuit, Matre adhuc mihi superstite, laetor. Per varios artium praec-
ceptores institutus, ad initia literarum capessenda in Ill. Rutheneum, quod
Gerae floret, receptus sum, omnibusque Praeceptoribus meis pia mente
geatiam refero, nominatin Exc. SCHVETZIO, Directori, STVRZIO,
Eloquentiae Professori, Virisque Celeberrimiis, HAVPTMANNO, Con-
rectori, GEITNERO, Subcorrectori, BARTSCHIO, Matheos Le-
ctori. Ao. 1790 Dresdam petui, ibique ab Excell. BECKERO, in Aca-
demia Militari Professore, optimo auunculo, benignus exceptus, qui pro sua
benivolentia, formandi animi curant gesit, variisque me Praeceptoribus
tradidit, ex quibus BEYTLERVM, Scholae Crucis Correctorem nomino.
Anno inseguente Lipsiam petui, ut in Literarum Academia ibi florente,
disciplinas medicalis edicerem, et ab Exc. BECKIO, tum Rectore Academe-
iae Magnifico, in cuius munerum receptus sum. Doctorum ibidem Clariss.
HAASII et FISCHERI in Anatomia; in Physiologia PLATNERI,
HEBENSTREITII et SCHREGERI; in Historia naturali LVDWI-
GII; in Chemia ESCHENBACHII; in Botanice HEDWIGII institu-
tioni.



tionibus fructus sum; HEBENSTREITIVM vero et Pathologiae, Semiotices et Therapiæ generalis Praeceptorem mihi contigisse insigniter laetor; PLATNERI quoque philosophicis Lectionibus intersui, quibus omnibus pia mente summas ago gratias, meque numquam benefactorum, quae in me contulere, memoriam perditurum profiteor. Ao. 1792 Ienam peti, Exc. HVIELAND Pathologiae, Semiotices, Theraphiae generalis et specialis, et Materiae medicae praecceptorum habuisse gaudeo; Ill. LODERI praelectionibus chirurgicis intersui, quibus et D. STARK me participem fecit; Ill. autem STARKIVS in Arte obstetricia me instruxit eiusque Clinico instituto per annum integrum ita usus sum, ut aegros suo ducta ipse curarem. Cui et pro multo, quo me dignatus est, favore nunquam satius gratias referre possum. Iam vero cum academicum studium emensur; ad summos in arte, quam hucusque colui, honores capessendos, priusquam instituta Clinica maiora, atque Nosocomia celebriorum apud exterorū adirem, Vitebergam profectus, ab Magnif. HOMMELIO, h. t. Rectore Academiac, ciubus adscriptus, examinibus consuetis me subieci.

In quo examine, quod cum Illo ante paukos dies insituimus, laeti cognouimus, Illum omnino eas Sibi comparasse in arte salutari cognitiones, vt preces Eiusdem de consequendis summis honoribus iustas omnino haberemus. In quem finem publice ultimum daturus est Specimen cras die Lunae, d. 11. Maii a. c. quo Dissertationem Suam Inauguralem, a se penitus conscriptam:

De balneis frigidis obseruationes,

meo Praefidio, ventilaturos est. Quam celebritatem, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES CONSCRIPTI, OMNIVM DOCTORES ORDINVM, QVIVIS LITTERARVM FAVTORES ET CVLTORES, sua praesentia illumire reddere velint ea, qua par est, pietate et obseruantia, rogamus.


P. P. Dominica Rogate, 1795.


ULB Halle
001 558 609

3



TH-DOC





28
1795
6 ba

D. SALOMO CONSTANTINVS
TITIVS,

ORDINIS MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANVS

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

A

CAROLO GEORGIO NEVMANN O

GERANO

D. II. MAII 1795.

H. L. Q. C.

PUBLICE HABENDAM

INDICIT.

De frigoris extremi in corpus humanum effectibus, caloris summi admodum analogis.

A